
Iv. Lycke.

summa hominis felicitate
x Aristotel I. ad Nicomachum.

Helmastadii. 1596.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]

48,-13. · 4°
(LN bis 406)

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]

Diſputatio Philoſophica

EX I. ARISTOTELIS AD NICOMACHVM, DE SVMMA HOMINIS FELICITATE, quatenus in ſocietate viuit.

Propoſita à

M. GEORGIO ZESTERO

Scoto, in inclyta Iulia 15. Calendarum Ianuarij. Quam pro virili defendere conabitur

IVARVS Lycke Nobilis Danus.

HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCVI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]

NOBILISSIMO, DOCTRINA, RERVMQ; VSV ET EXPERIENTIA PRAESTANTISSIMO VIRO, D. MAVRITIO STYGGE, DOmino de Holbeckgaardt & Narager gaardt &c. in Cimbria Septemtrionali iudici ordinario: affini perpetuò colendo S. P. D.

IVARVS LYCHE DANVS.

CVm eâ lege vir Nobiliſsime, homo à natura factus & in lucem editus eſſe videatur, vt in ſocietate viuat, virtutem colat & iuſtitiā exerceat: opus habet diſciplinâ & inſtitutione, quibus hæc bona comparari poſſunt. Niſi enim ſummâ curâ rectaq; inſtitutione animus hominis virtute imbuatur, ſemper à regia via deflectens, ad ea, quæ ſenſui ſunt obuia fertur. Hinc Diuinus Plato in libris de republica ſapienter pronunciauit. Hominem perperam educatum deteriorem feris euadere: rectè verò inſtitutum diuinum reddi. Ne igitur ad ea quæ impetus belluarum proſequitur, feratur, de vitæ ſuæ informatrice & magiſtra ſollicitus eſſe tenetur. Ea, ſapientum omnium conſentione, ciuilis diſciplina eſt: quæ viam & modum oſtendit quo virtutes adipiſci, & ſecundum eas operando, vita felici, quoad fieri poteſt, viuere poſsit. His adductus, lubuit in hac ciuili diſciplina me exercere. Suſcepi itaq; ad defendendum hanc primam Ethices de ſumma hominis felicitate politica diſputationem, quam tibi conſecrare & inſcribere volui: tum quia iſtis ſermonibus, quæ de bonis diſciplinis referuntur, mirificè delectaris, in quibus tu vnus maximè excellis: tum vt, (quoniam ob innumera tua in me beneficia meam induſtriam in te colendo, collocare teneor) tibi obſeruantiam meam & animi gratitudinem declarem, tum deniq; ob multas alias cauſſas quas omnes hic recenſere nimis longum foret. Hoc qualecunq; munuſculum vt ſereno vultu accipias, & me, meaq; ſtudia tibi commendata habeas, etiam atq; etiam rogo Vale: Helmſtadio, ſexto Idus Xbris Anno XCVI.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]

CVm homo animal ſociale ſit, & vt in ſocietate viuat, omninò neceſſe habeat, quòd eius cuius à natura indiget boni, ſine ſocietate & officijs mutuo præſtitis & acceptis, particeps eſſe nequeat, quare, quæ homini vt ſociale animal, ex omni humana virtute perfici naturali rationis luce poterit, ſummus finis & perfectio ſit, ex mente Ariſtotelis conſiderabimus. De perfectione verò quæ homini ex ſupernaturali gratia accidit, nihil hic dicemus.

II.

Ac primum: omnis ars & diſciplina, item omne conſilium ac actio humana, bonum aliquod appetere videntur, quod perfectio ac finis eſt cuius gratia omnia fiunt: quare bonum (quod veteres id eſſe pronunciarunt quod omnia appetunt) nihil aliud eſt quàm ipſe finis, ac ſummus finis hominis, ſummum bonum humanum.

III.

Non eadem finis ratio eſt in omnibus. Nam alij fines nudæ actiones ſunt: Alij ex actionibus opera; vbi vero opera; ſemper opus ipſum, actione & operatione præſtantius eſt.

IV.

Deinde quemadmodum artes aliæ alijs ſubiectæ ſunt; ita fines finibus ſubijciuntur, illiq; præſtantiores fines ſunt, quibus alij inſeruiunt & ſubijciuntur: ſic ſuperiorum diſciplinarum fines præſtantiores ſunt inferiorum.

V.

5. Eſſe autem actionum humanarum, quatenus in ſocietate viuit homo, finem aliquem vltimum, qui non propter alium, ſed per ſe expetatur, & cuius gratiâ omnia fiant, in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]

confeſſo apud omnes eſt: alioqui aliud ex alio ſemper petendo appetitus humanus in infinitum progrederetur: atq; vanus & irritus reſultaret.

VI.

Talem finem extremum ſummum bonum dicimus, quod in eius acquiſitione, humanus appetitus facilè acquieſcat nec, eo inuento, vlterius progrediatur, ſed ad eum velut ſcopum actiones omnes dirigat: quare eius cognitio ad vitam rectè degendam plurimum prodeſt.

VII.

Cum igitur finis hic ſupremus ſit ſummumque hominis bonum, oportet vt eius diſciplinæ ſit, quæ præſtantiſſima eſt, & cæteris dominatur: talis videtur illa practicæ Philoſophiæ pars, quæ Politicæ fundamenta iacet, & Ethica propriè vocatur.

IIX.

Ipſa enim Politica ſtatuit & præſcribit, quas in ciuitate ſcientias eſſe, & quas quenq; diſcere, & quouſque eas exercere oporteat. Præterea, honoroficentiſſimas facultates, Imperatoriam, Oeconomicam, Oratoriam, omnesq; artes quæ in actionibns verſantur, huic ſubeſſe videmus. Neceſſe eſt igitur eius fine, reliquarum artium fines contineri, ſummique boni cognitionem Politico propoſitam eſſe: licet Ethicus propriè & primò ſummum bonum conſideret.

IX.

Quia vero in quauis diſciplina explicanda docendi methodus propoſitæ materiæ accomodari debeat; videtur ſcientia hæc non poſſe exquiſitis demonſtrationibus tradi, cum materiam non neceſſariam, ſed contingentem, & omnibus circumſtantiarum vicibus expoſitam habeat. Tam enim externa bona, quàm interna, vt honeſta & iuſta, circa quæ occupata eſt, adeò varia & incerta ſunt, vt inſtituto

& con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]

ſecundum virtutem agere poſſunt idque conſtanter ſiue in vita perfecta, quales pueri non ſunt, qui niſi ſpe ſola (quæ multis calamitatibus obnoxia eſt) beati dici non poterunt.

XXXI.

Præterea quia felicitas conſtans & firmum quoddam habeat à virtute profectum, etiam in hac vita, contra Solonem, & etiam poſt hanc vitam firma aliqua & conſtans eius poſſeſſio eſſe poterit, quam quidem in hac vita fortunæ viciſſitudines & calamitates planè immutare nequeant, modo generoſus animus ſemper eluceat, & aduerſa placidè ferat; ac moderatè prudenterque cuncta dirigat, vbi in anguſtias cogitur: ac quam poſt hanc vitam licet poſteri obſcurare queant, tollere tamen penitus nequeunt.

XXXII.

Quia vero conſtat felicitatem hanc inter humana bona optimum eſſe, & ad aliud non referri, ſicut laudabilia ſolēt: in numero laudabilium poni propriè non debet: ſed cum ſit principium & ſcopus bonorum humanorum, quibus in ſocietate homo perficitur, in numero honorabilium potius erit.

XXXIII.

Quòd ſi felicitas functio ſit virtuti conſentanea: virtutum ſtudio maximè incumbendum erit, ſi eius compotes eſſe velimus.

XXXIV.

Virtus autem humana animi & non corporis eſt, quare vt medicus in cognitione corporis multum ſtudij ponere ſolet: ita qui virtutes animi conſiderat, in cognitione facultatum animi operam & curam aliquam conferre debet.

XXXV.

Duæ vero ſunt communiſſimæ animæ facultates, quarum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]

rum altera λογικὴ id eſt ratione prædita: altera vero ἄλογος ſiue ratione expers dicitur. Hæc viciſſim duplex: vna homini cum brutis communis quæ ratione non vtitur, nec rationi obſequi poteſt, ex qua bonus ab improbo non diſtinguitur, altera quæ rationi obtemperare poteſt ſcilicet ὀρεκτικὴ quâ res mente vel ſenſu perceptas aut proſequimur aut fugimus. Hanc rationi obtemperare poſſe manifeſtum eſt in continentibus & obtemperantibus.

XXXVI.

Ex hac facultatum animæ diſtinctione, diſtinctio virtutum humanarum oritur. Nam vt duæ ſunt facultates homini propriæ: ita duplices ſunt virtutes: aliæ quæ intellectum perficiunt, & in cognitione poſitæ ſunt; nimirum: διανοητικαί: aliæ appetitum dirigunt, quæ quia vſu & conſuetudine imprimis acquiruntur ἠθικὴ vocantur. De vtriſq; igitur agendum deinceps erit.

Corollarij vice ſint.

I.

AN ea omnia, quæ traduntur in primo libro Ethicorum, tam ſummo bono theoretico, quàm practico conueniant?

II.

An Ciuilis diſciplina rectè in Theoreticam & practicam partem diuidi queat?

III.

An ordo in tradendis diſciplinis, à natura rei vel potius à noſtro cognoſcendi modo petatur?

Duo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]

IV.

Duo tantum eſſe ordinis genera: compoſitiuum ſcilicet & reſolutiuum affirma:

V.

Quæritur an cum in ſcientijs, tum in artibus vtroque ordine congruenter vti liceat?

VI.

An quælibet natura appetat bonum?

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 406 [48,-13 4°]